

mur, cum naturalis sit, tendit in bonum et consecutionem ejus, prout naturalibus viribus commensuratum. Unde fit etiam ut circa aliquod bonum sensibile, vel circa malum vitandum, potuerit esse in appetitu Christi desperatio, quia potuit apprehendi ut insuperabile per vires naturæ, ut constat de ipsa morte vitanda; qui actus videtur quidem supponere aliquem defectum, sed est idem cum defectu timoris, de quo statim dicemus.

6. Quinto de actu audaciæ nulla est difficultas, quin potuerit esse in Christo in statu vitæ passibilis; hoc enim actu aggredimur pericula propter vitandum malum, vel consequendum bonum; Christus autem in maximis periculis vitæ et honoris versatus est, et ideo, supposito illo statu, hic actus audaciæ prudenter elicitus ad perfectionem et fortitudinem ejus pertinuit. De his ergo actibus nulla est difficultas. De aliis vero dicemus, sequentes articulos D. Thomæ explicantes.

## ARTICULUS V.

*Utrum in Christo fuerit dolor sensibilis<sup>1</sup>.*

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit verus dolor sensibilis. Dicit enim Hilarius, in 10 de Trinit. 2: Cum pro Christo mori sit vita, quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit? Et infra dicit 3: Unigenitus Deus hominem verum, non deficiens a se Deo sumpsit; in quem quavis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevarer, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aquam perforans. Non igitur in Christo fuit verus dolor.

2. Præterea, hoc proprium videtur esse carni in peccato conceptæ, quod necessitati doloris subjaceat. Sed caro Christi non est cum peccato concepta, sed ex Spiritu Sancto in utero virginali. Non ergo subjacuit necessitati patiendi dolorem.

3. Præterea, delectatio contemplationis divinorum diminuit sensum doloris; unde et martyres in passionibus suis tolerabilius susti-

<sup>1</sup> Inf., q. 46, a. 6, corp. Et 3, d. 15, q. 2, a. 3, q. 1. Et Verit., q. 26, art. 8, corp., fin., et ad 8, et op. 2, c. 231.

<sup>2</sup> In 2 fol. a princ. lib.

<sup>3</sup> Lib. 10 de Trin., ante med. lib.

nuerunt, ex consideratione divini amoris. Sed anima Christi summe delectabatur in contemplatione Dei, quem per essentiam videbat, ut supra dictum est<sup>1</sup>. Non ergo poterat sentire aliquem dolorem.

Sed contra est quod Isai. 53 dicitur: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Respondeo dicendum, quod (sicut patet ex his quæ in secunda parte dicta sunt<sup>2</sup>), ad veritatem doloris sensibilis requiritur læsio corporis et sensus læsionis. Corpus autem Christi lædi poterat, quia erat passibile et mortale, ut supra habitum est<sup>3</sup>. Nec defuit ei sensus læsionis, cum anima Christi perfecte haberet omnes potentias naturales. Unde nulli dubium debet esse quin in Christo fuerit verus dolor.

Ad primum ergo dicendum, quod in omnibus illis verbis et similibus, Hilarius a carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit. Unde post præmissa verba subdit<sup>4</sup>: Neque enim tum cum sitivit, aut esurivit, aut flevit, bibisse Dominus, aut manducasse, aut doluisse monstratus est; sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est, ita ut naturæ nostræ consuetudine, consuetudini sit corporis satisfactum, vel, cum potum et cibum accepit, non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit. Quia non accepit necessitatem per comparationem ad causam primam horum defectum, quæ est peccatum, ut supra dictum est<sup>5</sup>; ut, scilicet, ea ratione dicatur caro Christi non subjacuisse necessitati defectuum, quia non fuit in ea peccatum. Unde subdit<sup>6</sup>: Habuit enim, scilicet Christus, corpus, sed originis suæ proprium, neque ex vitio humanæ conceptionis existens, sed in formam corporis nostri, virtutis suæ potestate subsistens. Quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quæ est compositio contrariorum, caro Christi subjacuit necessitati horum defectuum, ut supra dictum est<sup>7</sup>.

Ad secundum dicendum, quod caro in peccato concepta subjacet dolori, non solum ex necessitate naturalium principiorum, sed etiam ex necessitate reatus peccati. Quæ quidem ne-

<sup>1</sup> Quæst. 9, art. 2.

<sup>2</sup> 1. 2, q. 35.

<sup>3</sup> Quæst. 14, art. 1.

<sup>4</sup> Loco citato in argum.

<sup>5</sup> Quæst. 14, a. 2, et 3, ad 2.

<sup>6</sup> Lib. 10 de Trinit., ante med. illius.

<sup>7</sup> Quæst. 14, art. 2.

cessitas in Christo non fuit, sed solum necessitas naturalium principiorum.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est<sup>1</sup>, virtute divinitatis Christi, dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus, ne ejus passibilitas et mortalitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur.

## COMMENTARIUS.

4. Ut declaret D. Thom. in Christo fuisse dolorem sensibilem, advertit ad hujusmodi dolorem duo requiri, scilicet, læsionem corporis, et sensum doloris; quæ duo in Christo esse potuerunt, cum et habuerit corpus passibile, et animam perfectissime sentientem. Considerandum vero est, non asserere D. Thom. in illis duobus dolorem formaliter consistere, sed requiri ad verum dolorem, ita ut illis positus naturaliter resultet, nisi miraculose impediatur. Læsio enim corporis habet rationem objecti respectu doloris, quia, vel ipsa læsio, vel aliqua qualitas disconveniens corpori, quæ per illam resultat, est objectum circa quod dolor versatur; sensus vero læsionis est veluti applicatio objecti doloriferi, ex qua dolor in appetitu resultat, sicut, in universum, cognitio objecti prosequendi vel fugiendi per appetitum, est applicatio seu conditio necessaria ut appetitus moveri possit. Dolor ergo formaliter consistit in quodam actu ipsius appetitus, quo veluti contristatur, et fugit corporis læsionem sensu perceptam. Sicut ergo in Christo fuit vera læsio corporis, et verus sensus læsionis, ita et verus dolor. Quæ conclusio de fide certa est, ut constat ex modo loquendi Scripturæ, et communi sensu totius Ecclesiæ. Isai. 53: Vere dolores nostros ipse tulit. Et Psal. 87: Repleta est malis anima mea. Ubi Augustinus: Non vitio, sed humanis malis, id est, doloribus. Et plura alia ex Scriptura, Conciliis et Patribus, supra, q. 14, adduximus, quibus ostendimus Christum habuisse corpus vere passibile, et in eo vere pro nobis passum esse; vera autem passio talis corporis non est sine vero dolore. Unde etiam ex fine incarnationis hoc confirmari potest, quia hic affectus est maxime poenalis, et ab omni culpa alienus, et ideo accommodatissimus est ad satisfaciendum pro culpis.

<sup>1</sup> Quæst. 14, a. 1, ad 2.

Quin potius infra, agentes de passione Christi, ostendemus, cum D. Thoma, hunc dolorem in Christo fuisse maximum, seu acerbissimum.

2. In argumento primo objicit D. Thomas testimonium Hilarii, lib. 10 de Trinit., parum a principio, et circa medium. Qui disertis fere verbis videtur negare Christum passum esse verum sensibilem dolorem, et eodem modo loquitur canone 31, in Matth., et super Psalm. 53 et 68, propter quæ Claudius Viennensis, lib. 2 de Statu animæ, c. 41, in 6 tom. Bibliot. Sanct., dicit Hilarium revera in ea sententia fuisse; et Bonav., in 3, dist. 16, art. 1, q. 1, ad 1, sentit Hilarium in dictis locis errasse, postea vero sententiam retractasse. Dicit enim se audivisse Guilielmum Parisiensem, referentem se vidisse et legisse librum Hilarii, in quo illam sententiam retractavit; quam ipse Bonaventura in hac solutione non persistat, sed alias assignet. Et mihi quidem incredibile est Hilarius lapsum esse in hunc errorem, primo, quia a nullo antiquorum Patrum de hac re notatur, cum ad fundamenta nostræ fidei valde pertineat. Quin potius Hieronym., tom. 1, ep. 7 ad Lætam: Libros, inquit, inquit, Hilarii inoffenso decurrat pede; illorum tractatibus, illorum delectetur ingenio, in quorum libris pietas fidei non vacillet. Et 3 tom., epist. 141 ad Marcellam, de Expositione Psalm. 126, dicit se non audere reprehendere tantum virum, suis temporibus eruditissimum. Secundo, quia aliis locis idem Hilarius tam vere et proprie tribuit Christo hos affectus, famem, sitim, etc., sicut crucifixionem et mortem; ut in dicto Psal. 53, circa medium, sic inquit: Ex communi infirmitate nostra salutem est deprecatus a Patre, ut intelligeremus nativitatem nostram cum ipsis infirmitatis nostræ officiis illi inesse. Hinc illud est quod esurivit, dormivit, lassatus fuit, moestus fuit, et flevit, et passus, et mortuus est. Et similia multa ibidem subjungit, et fere similia habet lib. 3 de Trin., col. 3: Natus, inquit, ex Virgine, a cunis, atque infantia usque ad consummatum virum venerat, per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas, hominem egerat; etiamnum conspuendus, flagellandus, crucifigendus erat. Propterea ergo merito D. Thomas hic sentit Hilarium minime errasse, et ideo illius dicta interpretatur. Quod etiam faciunt alii Doctores cum Magistro, in 3, dist. 16; Alexand. Alens., 3 p., q. 17, memb. 1. Primo ergo intendit Hilarius, Christum ita passum esse, ut tamen Verbum ipsum dolores et similes affectus non senserit, cujus

contrarium Ariani sentiebant, contra quos Hilarius libros de Trinitate conscripsit. Quæ expositio est Bonaven. et aliorum, et fundari potest in verbis ejusdem Hilarii, lib. 10 de Trinit., ubi de Arianis sic inquit: *Quia ex doloris Filium creatum esse dicunt, ideo in eo doloris anxietatem, ideo ipsius passionem cum corporis passione ponunt.* Et Psalm. 63, circa fin., cum dixisset passionem fuisse a Christo assumptam, subdit: *Officio quod dem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ sensu læsura patientem; non quod illa non habuerit lædendi naturam, pro ipsius passionis qualitate, sed quod dolorem divinitatis natura non sensit.* Et eundem sensum prosequitur Psalm. 138, in princip., et lib. de Synodis, in duodecimo canone, ex Cone. Sardicensi.

3. Secundo hinc ulterius voluit docere Hilarius, ut hic D. Thomas exponit, in Christo non fuisse necessitatem illam subjacendi doloribus, contractam ex peccato, quæ in nobis est; sed potius ratione unionis illi fuisse debitum et quasi connaturale, ne dolores sustineret, quanquam voluntarie illos assumpsit. Unde nunquam negat Hilarius in Christo fuisse dolorem, sed *naturam doloris*, id est, ex conditione sua subjectam dolori. Quod ita esse constat ex illo lib. 10 de Trinit., a colum. 12, usque ad 22, ubi inter alia dicit in Christo fuisse affectiones sitis, famis, etc. Ita tamen inquit, *ut passionum non conficeretur injuriis.* Quod exponens addit: *Quia flens, non sibi flebat, etc., et infra: Non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit, habebat enim corpus, sed originis suæ proprium, et non ex vitæ humanæ conceptionis existens.* Et propterea ibidem dicit Christum habuisse corpus talis conditionis, ut calcare posset aquas, et ingredi clausis januis, et ut posset non dolere; quæ omnia dicuntur de illo corpore ratione unionis, non secundum intrinsecam et naturalem ejus constitutionem. Quod clarius exponens idem Hilarius, Psalm. 68, dicit infirmitates nostras fuisse in Christo non naturales, sed assumptas. Et in principio Psalm. ita loquitur: *Universarum humanarum passionum sorte perfunctus, secundum infirmitatem nostram loquitur, et dolet ipse quidem; extra necessitatem tamen et timoris positus, et doloris, sed iis tantum quæ suscepit, se accommodans.* Et circa illa verba, super dolorem vulnerum meorum addiderunt, iterum repetit Christum doluisse. Quod autem de vero dolore loquatur, atque adeo quod non neget eam necessitatem dolendi, quæ ex dispositione corporis passibilis oritur, sed eam

tantum quæ est ex peccato, constat ex principio ejusdem Psal., ubi sic ait: *Infirmitatem nostram suscipiens, portansque peccata, se somno et lassitudini sæpe commisit, etiam usque ad sitis et esuritionis necessitatem.* Præter hæc vero etiam interdum voluit docere Hilarius, Christum non fuisse perturbatum his passionibus, ut art. 7 iterum dicitur.

4. Juxta hæc vero quæ de Hilario diximus, exponenda sunt obscura verba Clementis Alexandrini, lib. 6 Stromat., fol. 134, alias pag. 301, ubi inquit ridiculum esse existimare corpus Christi indignis cibo et potu ut permaneret: *Sancta enim, inquit, virtute continebatur, et tantum comedebat ne phantasticum putaretur; ipse autem, ut semel dicam, impatibilis erat, quem nullus subiit motus affectionis, nec voluptatis, nec doloris.* Quæ verba (si pie exponenda sunt), sensum habere debent, Christi corpus divina virtute, et ratione unionis potuisse conservari sine cibo et potu; usum tamen illis fuisse ad veritatem corporis comprobendam. Et simili modo potuisse ratione unionis esse omni passione liberum, voluntarie tamen illas assumpsisse; vel certe vocat impatibilem, eo sensu sumpta passione, quo significare solet affectionem sensibilem prævenientem rationem; in sequentibus enim dicit participasse hanc Christi impatibilitatem, et nos debere illam imitari.

## ARTICULUS VI.

Utrum in Christo fuerit tristitia <sup>1</sup>.

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit tristitia. Dicitur enim de Christo, Isai. 42: *Non erit tristis, nec turbulentus.*

2. Præterea, Proverb. 12 dicitur: *Non contristabit justum, quicquid ei acciderit. Et hujus rationem Stoici assignabant, quia nullus tristatur, nisi de amissione suorum bonorum; justus autem non reputat bona sua, nisi justitiam et virtutem, quas non potest amittere, alioquin subjiceretur justus fortunæ, si pro amissione bonorum fortunæ tristaretur. Sed Christus fuit maxime justus, secundum illud Hier. 23: *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.* Ergo in eo non fuit tristitia.*

3. Præterea, Philos. dicit in 7 Ethic. <sup>2</sup>,

<sup>1</sup> Infr., q. 46, a. 2, et 3, d. 15, q. 2, a. 3, q. 3, corp., et ad 5. Et opus. 2, c. 226.

<sup>2</sup> C. 13 et 14, tom. 5.

quod omnis tristitia est malum, et fugiendum. Sed nullum malum fugiendum fuit in Christo, Ergo in Christo non fuit tristitia.

4. Præterea, sicut Augustinus dicit, 14 de Civitate Dei <sup>1</sup>, tristitia est de his quæ nobis nolentibus accidunt. Sed nihil passus est Christus contra suam voluntatem; dicitur enim Isai. 53: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Non ergo in Christo fuit tristitia.

Sed contra est quod dicit Dominus, Matth. 26: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et Ambrosius dicit, in 2 de Trinit. <sup>2</sup>: *Ut homo tristitiam habuit, suscepit enim tristitiam meam, confidenter tristitiam nomino, qui crucem prædico.*

Respondeo dicendum quod, sicut dictum est <sup>3</sup>, delectatio divinæ contemplationis ita per dispensationem divinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur. Sicut autem dolor sensibilis est in appetitu sensitivo, ita et tristitia. Sed est differentia secundum motivum sive objectum; nam objectum et motivum doloris est læsio sensu tactus percepta, sicut cum aliquis vulneratur. Objectum autem et motivum tristitiæ, est nocivum seu malum interius apprehensum, sive per rationem, sive per imaginationem (ut in secunda parte habitum est <sup>4</sup>), sicut cum aliquis tristatur de amissione gratiæ vel pecuniæ. Potuit autem anima Christi interius apprehendere aliquid ut nocivum, et quantum ad se, sicut passio et mors ejus fuit; et quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, vel etiam Judæorum occidentium ipsum. Et ideo, sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita potuit in eo esse vera tristitia, alio tamen modo quam in nobis, secundum illa tria, quæ supra assignata sunt <sup>5</sup>, cum communiter de passionibus animæ Christi loqueremur.

Ad primum ergo dicendum, quod tristitia remouetur a Christo secundum passionem perfectam, fuit tamen in eo initiata secundum propassionem. Unde dicitur Matth. 26: *Cæpit contristari et mæstus esse.* Aliud enim est contristari, aliud incipere contristari, ut Hieronymus ibidem dicit <sup>6</sup>.

<sup>1</sup> C. 6, in medio, tom. 5.

<sup>2</sup> Seu lib. 2 de Fide ad Grat., c. 3, post med., tom. 2.

<sup>3</sup> Art. præc., ad 3.

<sup>4</sup> 1. 2, q. 33, art. 2.

<sup>5</sup> Art. 4 hujus quæst.

<sup>6</sup> In Matth. 26, tom. 9.

Ad secundum dicendum quod, sicut Augustinus dicit, in 14 de Civitate Dei <sup>1</sup>, pro tribus perturbationibus, scilicet, cupiditate, lætitia, et timore, Stoici tres eupathias, id est, bonas passiones in animo sapientis posuerunt, scilicet, pro cupiditate voluptatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem; sed pro tristitia negaverunt esse posse aliquid in animo sapientis, quia tristitia de malo est, quod jam accidit; nullum autem malum existimant posse accedere sapienti. Et hoc ideo est, quia non credebant aliquid esse bonum, nisi honestum, quod homines bonos facit; nec aliquid esse malum nisi inhonestum, per quod homines mali fiunt. Quamvis autem honestum sit principale hominis bonum, et inhonestum principale hominis malum (quia hæc pertinent ad ipsam rationem, quæ est principalis in homine), sunt tamen quedam secundaria hominis bona, quæ pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deservientes. Et secundum hoc potest in animo sapientis esse tristitia, quantum ad appetitum sensitivum, secundum apprehensionem hujusmodi malorum; non tamen ita quod ista tristitia perturbet rationem. Et secundum hoc etiam intelligitur, quod non contristabit justum quicquid ei acciderit; quia, scilicet, ex nullo accidente ejus ratio perturbatur. Et secundum hoc tristitia fuit in Christo secundum propassionem, non autem secundum passionem.

Ad tertium dicendum, quod omnis tristitia est malum pœnæ, non autem est semper malum culpæ, sed solum quando ex inordinato affectu procedit. Unde Augustinus dicit, 14 de Civitate Dei <sup>2</sup>: *Cum rectam rationem sequuntur istæ affectiones, et quando et ubi oportet adhibentur, quis eas tunc morbidas seu vitiosas passiones audeat dicere?*

Ad quartum dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse contrarium voluntati secundum se, quod tamen est volitum ratione finis ad quem ordinatur; sicut medicina amara non est secundum se volita, sed solum secundum quod ordinatur ad sanitatem. Et hoc modo mors Christi et ejus passio secundum se considerata fuit involuntaria, et tristitiam causans, licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui est redemptio humani generis.

<sup>1</sup> Cap. 8, in princ., t. 3.

<sup>2</sup> C. 9, ante med., tom. 13.

## COMMENTARIUS.

1. *Titulus articuli. — Responsio. — Objectio. — Responsio.* — Sensus quæstionis est de tristitia sensibili, de his enim affectibus nunc agimus, ut dictum est, et aperte D. Thomas explicat in corpore articuli. Qui respondet in Christo fuisse hanc tristitiam; cujus assertio de fide certa est ex Matthæi 26, et Luc. 22, et ex dictis in articulo præcedenti. Eam vero optime declarat D. Thomas ex duobus: primum, quia in Christo potuit esse objectum hujus tristitiæ, sicut est objectum doloris; hoc enim objectum est malum aliquod sensibile, quod licet realiter corpus non lædat, neque exteriori sensu sentiatur (hoc enim ad dolorem spectat), sensu tamen interno seu imaginatione ut præsens apprehenditur; in Christo autem esse potuit apprehensio hujus mali, ut mortis, aut injuriarum, vel peccatorum ipsorum hominum, etc.; potuit ergo esse tristitia sensibilis, quæ ex tali objecto naturaliter sequitur in appetitu, si modo sibi connaturali permittatur operari. Quia vero non satis est ad habendam tristitiam representatio objecti, nisi etiam appetitus careat dispositione contraria, et repugnante ipsi tristitiæ, qualis esse posset magna delectatio, ideo addit secundo D. Thomas, divina dispensatione factum esse ut talis dispositio non esset in appetitu Christi. Quanquam enim ex divina contemplatione, quæ erat in anima Christi, redundare posset hæc delectatio in appetitum sensitivum, divina tamen virtute impedita est ne dolorem vel tristitiam sensibilem impediret; quam doctrinam docuerat D. Thomas, articulo præcedenti, ad tertium, solvens difficultatem, quomodo anima Christi beata, fuerit capax doloris et tristitiæ. Circa quam doctrinam supererat difficultas, quia ex illa videtur sequi, in voluntate Christi nullam fuisse tristitiam, quia in illa fuit summum gaudium ex divina contemplatione et visione manans. Sequela patet, quia, si appetitus sensitivus privatus est delectatione quæ in ipsum derivari posset in fruitione beata, ne fieret incapax tristitiæ, ergo voluntas, in qua per se primo fuit gaudium illud beatificum, per illud effecta est omnino incapax tristitiæ. Respondeo D. Thomam hoc loco ea tantum docuisse, quæ ad præsentem difficultatem solvendam sufficiebant, et assignasse modum quo evidentius constare poterat appetitum sensitivum Christi fuisse capacem tristitiæ; an vero alio mo-

do potuerit voluntas esse capax tristitiæ simul cum gaudio, D. Thomas hoc loco nec negavit, nec asseruit, quia ad rem non spectabat. Adde D. Thomam non tantum voluisse ostendere appetitum sensitivum Christi fuisse capacem tristitiæ secundum quid, seu secundum aliquam rationem; sed absolute et simpliciter ita potuisse tristitiam pati, ut omnis delectationis et voluptatis expers aliquando fuerit. Quod in voluntate locum habere non potuit, quia, licet secundum aliquam rationem potuerit tristari, tamen, quia secundum potentiam seu superiorem rationem semper fuit beata, non potuit omni gaudio privari; appetitus autem sensitivus simpliciter fuit in statu passibili, et caruit statu beatifico, et ideo fuit capax talis tristitiæ, quæ omnem voluptatem excluderet. Cætera, quæ ad hanc difficultatem pertinent, tractabimus infra, q. 18.

2. In solutione ad primum explicat D. Thomas illud Isai. 42, ubi de Christo dicitur: *Non erit tristis, neque turbulentus*; ubi Septuaginta legunt: *Splendebit, et non conteretur*. Quod de Christi resurrectione dictum esse constat ex Hieron., Cyril., et aliis, qui eam lectionem ibi interpretantur; et ex eodem Hieron., tom. 3, ep. 151 ad Algasiam, q. 2; et Aug., l. 20 de Civit., c. ult., et l. de Unit. Eccles., c. 7. Christus enim, licet occisus fuerit, non tamen fuit contritus, et quasi in nihilum redactus, sed statim amplius per resurrectionem splenduit. Quod verbum in hebræo per negationem legitur, et ad litteram verti potest: *Non fumigabit*. Quo verbo intelligi potest, significatum esse, ita fuisse Christum hominem per mortem extinguendum, ut tamen fumigaturus non esset, sed statim per resurrectionem fuisse accendendum, ut singularem splendorem emitteret. Sequendo vero vulgatam lectionem, verbum illud, *non erit tristis*, exponendum est illo Proverbiorum 12: *Justus quidquid ei acciderit, non contristabit eum*. Non enim est sensus, nullam tristitiam illum esse sensurum, hoc enim ad justitiam non pertinet; sed quod tristitia non dominabitur ei, nec pacem vel tranquillitatem animæ ejus immutabit, ut Hieronym. ibi exponit. Et hæc sufficiunt etiam de solutionibus ad 2 et 3. Quod vero in solutione ad quartum D. Thomas attigit, quomodo aliquod malum potuerit esse Christo involuntarium, ut inde tristitia oriretur, tractabitur latius q. 18; nunc satis est potuisse accidere Christo aliquod malum contra naturalem affectum appetitus, ut inde tristitia, de qua loquimur, nasci potuerit.

## ARTICULUS VII:

*Utrum in Christo fuerit timor*<sup>1</sup>.

1. *Ad septimum sic proceditur. Videtur quod in Christo non fuerit timor. Dicitur enim Proverb. 28: Justus quasi leo confidens, absque terrore erit. Sed Christus fuit maxime iustus. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.*

2. *Præterea, Hilarius dicit, 10 de Trinitat. 2: Interrogo eos, qui hoc ita existimant, an ratione subsistat ut mori timuerit, qui, omnem ab Apostolis mortis timorem expellens, ad gloriam eos sit martyrii adhortatus. Non ergo in Christo rationabile est fuisse timorem.*

3. *Præterea, timor non videtur esse nisi de malo, quod non potest homo vitare. Sed Christus poterat vitare et malum pænæ, quod passus est, et malum culpæ, quod aliis accidit. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.*

*Sed contra est quod dicitur Marc. 14: Cæpit Jesus pavere et tædere.*

*Respondeo dicendum quod, sicut tristitia causatur ex apprehensione mali præsentis, ita timor causatur ex apprehensione mali futuri. Apprehensio autem mali futuri, si omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem; unde Philosophus dicit, in 2 Rhetor. 3, quod timor non est, nisi ubi est aliqua spes evadendi. Nam, quando nulla spes est evadendi, apprehenditur malum ut præsens, et sic magis causat tristitiam quam timorem.*

*Sic ergo timor potest considerari, quantum ad duo. Uno modo, quantum ad hoc, quod appetitus sensitivus naturaliter refugit corporis lesionem, et per tristitiam, si sit præsens, et per timorem, si sit futura. Et hoc modo timor fuit in Christo, sicut et tristitia. Alio modo potest considerari secundum incertitudinem futuri eventus; sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, quasi ignorantes quid hoc sit. Et quantum ad hoc timor non fuit in Christo, ut Damasc. dicit in 3 libro 4.*

*Ad primum ergo dicendum, quod justus dicitur esse absque terrore, secundum quod terror importat perfectam passionem, avertentem hominem ab eo, quod est rationis. Et sic timor*

<sup>1</sup> Sup., q. 7, a. 6. Et 3, d. 15, q. 2, a. 2; q. 3.

<sup>2</sup> In 2 fol., a princ. lib.

<sup>3</sup> C. 5, circa medium.

<sup>4</sup> Orth: fid., c. 23.

*non fuit in Christo, sed solum secundum propassionem. Et ideo dicitur, quod Jesus cæpit tædere et pavere, quasi secundum propassionem, ut Hieronymus 1 exponit.*

*Ad secundum dicendum, quod Hilarius eo modo a Christo excludit timorem, quo excludit tristitiam, scilicet, quoad necessitatem timendi. Sed tamen, ad comprobendam veritatem humanæ naturæ, voluntarie timorem assumpsit, sicut etiam et tristitiam.*

*Ad tertium dicendum, quod, licet Christus potuerit vitare mala futura secundum virtutem divinitatis, erant tamen inevitabilia, vel non de facili vitabilia, secundum infirmitatem carnis.*

## COMMENTARIUS.

1. *Objectio ex D. Thoma et Aristotele.* — Resolutio D. Thomæ subobscura est, vix enim colligi ex littera potest quid simpliciter affirmet vel neget; nam in principio articuli cum Aristotele docet, de ratione timoris esse incertitudinem futuri mali; deinde vero subdit, in Christo non fuisse timorem secundum incertitudinem futuri eventus, ex quo videtur absolute sequi, in Christo non fuisse timorem. Addit vero nihilominus, in Christo fuisse timorem quoad fugam mali futuri, quam fugam a tristitia distinguit, quæ est de malo præsentis; in quo significat illam esse verum timorem, quamvis hoc videatur principio articuli repugnare.

2. Dicendum tamen est, simpliciter et absolute in Christo fuisse verum et proprium sensibilem timorem; et hanc existimo esse mentem D. Thomæ hic, et communem sententiam Theologorum, in 3, dist. 15, quæ satis convincitur ex illo Marc. 14: *Cæpit pavere, et tædere*. Quod cum proprietate intelligendum est, et maxime potest esse verum de timore sensibili, præsertim cum statim addatur: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Quod vero cum proprietate hoc sit intelligendum, constat ex generali regula exponendi Scripturam proprie, et præsertim in historiæ narratione, ubi maxime servari solet verborum proprietates, cum hoc sine incommodo fieri possit; alias nihil firmum aut certum esse posset in his quæ de passionibus Christi narrantur, ut recte dixit August., circa illud Psalm. 93: *Quoadusque justitia convertatur in judicium*. Et ideo sancti Patres ita

<sup>1</sup> In cap. 26 Matth., tom. 9.